



Cvrsvs Philosophicvs

Arriaga, Rodrigo de

Antverpiæ, 1632

Sect. I. Continuum est ens per se.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95614](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95614)

LIBER V. PHYSICORVM.

De hoc libro egi libro tertio: videantur quæ ibi dixi.

LIBER VI. PHYSICORVM.

DEVENIMVS in materiam totius Philosophiæ difficillimam: sed vel inde solatium est, quia communis est omnibus difficultas, nec ullus sese non fatetur tantæ difficultatis pondere oppressum, ut humani ingenij superbia humiliaretur, tenuitatemque suam agnosceret, cum nec unius palææ valeat compositionem percipere.

DISPUTATIO DECIMASEXTA.

De Continui compositione.

CONTINVVM est res ex pluribus partibus unitis inter se resultans. Unitis, non quidem ut actus & potentia, seu materia & forma, sed integraliter, uti uniuntur partes aquæ, manus, vel ligni inter se.

Continuum est duplex, aliud *permanens*, id est, cuius partes existunt omnes unitæ, ut lignum, aqua, &c. *Successivum* aliud est, cuius partes fluxu quodam aliæ aliis succedunt. De utroque eadem hic est difficultas, ideoque de illo simul agemus.

Continuum permanens variè diuiditur, in *quantitativum*, *substantialiter*, *accidentale*, &c. sed hic abs re erit de illâ diuisione disputare, quia quoad eius compositionem, quam in præfati inquirimus, eadem est prorsus de illis difficultas.

SECTIO I.

Continuum est ens per se.

ANTEQVAM ad explicandam continui compositionem accedamus, oportet inquirere, an sit compositio per se, an accidentalis. Res quidem videtur facilis, & vix de illâ dubitatur: est tamen satis spinosa, tangit enim punctum de conceptu substantiæ & accidentis, quæ res, ut Disputatione IV. Metaphysicæ videbimus, est valde intricata.

Recentiores nonnulli affirmant cum communi, continuum esse unum per se. Eam autem huius rei reddunt rationem, quia sine partibus continuus non potest intelligi primus & quidditativus conceptus materiæ primæ, cuius essentia est esse diuiduum, saltem in actu primo. Hæc ratio nullo modo placet. Primò, quia inde sequitur, materiam primam in conceptu suo essentialiter includere unionem, non minus quam homo includat animam & corpus; unde contra ipsos infertur, sicut homo propter unionem absolute generatur, non creatur, ita etiam materiam primam non creati, sed generari; quod & alibi contra ipsos observaui. Secundò, hæc ratio non sibi

constat, dum dicit, esse de conceptu materiæ, esse diuiduum saltem in actu primo, per hæc enim vltima verba destruitur totum argumentum: quia si solum est de eius essentia diuisibilitas in actu primo, ergo actualis diuisibilitas, & unio non erit de conceptu substantiali illius; non secus ac actu discurrere, non est de conceptu hominis, licet discurrere in actu primo, seu posse discurrere, sit eius essentia. Arbitror, eam limitationem fuisse ab his adhibitam, ne fieret contra illos primum argumentum quod nos fecimus; sed tunc dedere locum huic secundo.

Confirmant sententiam: Quia homo, in quantum homo, est unum per se: sed in quantum homo, est continuum, quia eius corpus est organicum; ergo continuum ut tale est unum per se. Hæc confirmatio non dat rationem conclusionis, sed ponit unum exemplum, de quo est tota difficultas præfata. Adde, forte aliquem dicturum, hominem essentialiter mansurum hominem, etiam si punctum materiæ solum vniretur animæ rationali, ergo homo in quantum homo non est continuum.

Addunt nouam rationem, quia scilicet res materiales siue continuæ obseruiunt variis exercendis muneribus, ad quæ modò plus materiæ modò minus requiritur, ut ad recipiendam formam equi plus, quam ad formam formicæ, & ut ignis comburat intensè, plures requirit partes; ideo naturâ suâ materia respicit illas partes substantialiter. Neque hæc ratio satisfacit: Primò, quia inde fieret, etiam accidentia vniri per se cum substantiâ, quia per ea accidentia inuatur substantia ad operandum, sicut inuatur per alias compartes materiæ. Præterea, sicut plus materiæ requiritur ad formam equi, quam formicæ; ita speciales dispositiones, & maior organizatio requiritur ad formam equi, quam formicæ. Ergo, si præcisè propter eam rationem, quod scilicet requiritur plus materiæ, ea unio est per se, ita etiam propter eandem rationem erit per se unio materiæ cum dispositionibus ad formam equi. Secundò ea ratio reiecitur argumento à priori, quia conceptus substantiæ non constituitur per ordinem ad operationes ad extra, v. g. plus minusve cale-